

XXV, Sanguis non solum phlebotomiâ & aliis Chirurgicis administrationibus evacuatur, sed & im- purus repurgatur cum diaetholico, Mannâ, Fumariâ, Electuario de Pfyllio &c.

XXVI. Evacuationem humorum vitiosorum, generalem, sequitur *Curatio sive purgatio cerebri specialis* Hæc fit variis modis, nimirum frictionibus, Errhinis, Ptarmicis, Gargarismis, Apophlegmatismis. *Frictio* in posteriori capitis parte debet institui, hoc enim modo posteriores cerebri meatus obstructi, revocando calorem ad exteriora, aperiuntur. Confert etiam hinc pectinatio capitis cum pectine eburneo. *Errhina* sicut levia, & fiunt ex fol. Majora: Rutæ, Nicotia: Sem: Nigellæ &c. *Ptarmica & Gargarismata*, quia variis modis componuntur, lubens hinc omisimus, varia possunt videri apud Beatum D. Sennertum, lib. i. prax. part. i. cap. 10. Ex *Apophlegmatismis* eligimus ea, quæ caliditate & acrimoniâ suâ humores fundunt, qualia sunt: Sem. Anethi, Erucæ, Hyslopi, Origani &c. Rad. Cappar. Valerianæ, Lauri, Cubebæ, &c.

XXVII. *Flatum ad caput ascensum* prohibent, Diacotoneum, Coriandrum aceto maceratum. sem, Anisi, Galang nux Mosch, cum saccharo rosato in tabulas confecta. Confert etiam huc lotio pedum paulò ante cubitum administrata.

XXIIX. *Corroborantia* alia interiùs assumuntur, alia exteriùs appenduntur. *Prioris* generis sunt: Theriaca, Mithridatium, Confect. Alkermes, sp. Diambræ, Plirisarchont: Conserva Rorismar: Calendulæ, Lavendulæ, &c. Specificam corroborandi vim habere dicitur, Semen Pœoniæ nigrum maris, si scil. gr XV. terantur, & cum aq. Pœoniæ quatuor horis ante prandium

dium